



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Ilvstrivm Adornata**

**Visch, Charles de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1656**

Epistola VI. Ad Archiepisc. Senonensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38433**

& animo volenti ab administratione monasterij clementer absolvimus, sicut Personæ & loco credimus expedire.

Non enim convenienter ægrotus medetur ægrotis, nec imbecillum congruè sustentat invalidus, nec commodè lapsus erigit corruentem. Vos igitur sicut virum Ordinis decet, sicut amico convenit, sicut oportet servum Christi, sicut Altaris ministro dignum est, omni tempore date operam, ut ædificentur muri domus Domini, & virtus Ordinis reparetur, in sanctitate & iustitia coram Deo: quia temporalia detrimenta poterunt faciliè refarciri, si reformati contigerit Religionis honestatisque iacturam. In operibus liquidem nostris, si primum quæritur regnum Dei, iuxta ipsius sponsonem, boni temporalis adiectio non negatur. In breui igitur ad vos descendemus, domui miseræ consilium & auxilium, prout melius & aptius poterimus, impensuri.

Ad sit labori nostro vestra sedulitas & amica providentia; non enim effectu bono carete posse credimus, ubi vnanimiter duorum pia vota occurrunt. Vale.

## EPISTOLA VI.

Ad Archiepisc. Senonensem.

*Commendat quemdam Amicum, ut restituatur ei ab Archidiacono Aurelianensi, quod ipsi commodauerat.*

**A** Mantissimo in Christo Patri & Domino Wilhelmo, Venerabili (Dei gratia) Senonum Archiepiscopo, & Sedis Apostolica Legato, Fr. Philippus de Eleemosyna, plurimam in omnium Salvatore salutem.

Fidelis vester, & noster familiaris. Beneuentus de veteri vico, nostro interuentu, Hugoni Aurelianensi Archidiacono de rebus suis gra-

tuito, sine vsuris & augmento, commodatum non debet ei respondere in damnum, quod benignè seminavit in gratiâ. Rogamus dilectam nobis in Christo Paternitatem vestram, vobis deli vestro provideatis ne alienis fraudibus inuoluatur, & supplicium reporter pro beneficio. Mandate igitur Decanis vestris in quorum manibus cura eius est, ut veritate diligentius inquisita, tutum parent exitum pro beneficio laboranti: feliciter enim graditur causa, quam sincerè perspicit oculus æquitatis. De detrimentum autem eius, non sine vestra proveniet iniuriâ, cum ad hoc faciendum nostris precibus euictus accesserit. Bene valeat temper in Domino, vestra sublimitas.

## EPISTOLA VII.

Ad Ostiensem Episcopum.

*Commendat Ostiensi Episcopo Nobilem quendam Anglum, ut Pater eius ad sepulturam ecclesiasticam admittatur.*

**D**ilecto in Christo Patri & Domino, H. Ostiensi Episcopo, Fr. Philippus de Eleemosyna, salutem & obsequium. Vix quidam Nobilis de Anglia, & Amicus Ordinis nostri, aduersus Trecentem Episcopum & eius Ecclesiam deliquit, & excommunicatus est. Post aliquantum temporis consideratione habita, & damnorum satisfactione promissa, satisfecit, & absolutus est.

Ante plenam verò ablatorum restitutionem ab inimicis interceptus, & interfectus est, & prohibitus à sepultura, pro his quæ nondum plenè reddiderat. Hæres eius ætate minor, nec sciuit satisfacere pro Patre, nec potuit. Nunc ad intelligibiles annos proventus, ad omnem satisfactionem paratus est. Rogo igitur dilectam nobis in Christo Paternitatem vestram, ut sepulturæ beneficium precibus vestris obtineatur.